Hierinnen seyn die speciellen pieces die thornischen Händel betreffend.

1. Königl. pohlnisches Schreiben an den Czar, 1719.
2. Russiae Imperatoris Litterae ad Regem Poloniae, 1722
3. Constitution des in Warschau anno 1724 angefangenen Reichs-Tag 1725.
4. Königl. preussisches Schreiben an die Könige von Pohlen, Groß Brittannien, Dannemark und Schweden in thornischen Sache, 1724.

5. des Königs in Preussen anderweitige Schreiben an den König in Pohlen und Köni[g]. Denn. und Schwed. in der Thornischen Sache ~~1725~~ 1725.

6. Königl. Dänisches Schreiben an den König in Pohlen, wegen der Thornischen Sache, 1724.

7. Zweyer Königl. Schwedisches Schreiben an den Kayser in dieser Sache, 1725.

8. Thornische denckwürdige Ritter, Berlin, 1726.

9. Vorstellung Preussen an einen Freund in Deutschland wegen der Thornischen Sache. 1725.

10. Berichte von der Pohlnischen Sentenz und Execution in der Thornischen Sache. 1724.

11. Rösners J. Joh. Gottfr. Grabschrift, 1725

12. Röseners trostrede aus der festung Thorn, an die Redvänzten Glaubens genossen 1725.

13. Verse auf Roeseners todt, 1725.

14. S. J. L. / der entlarvte jesuit, 1725.

15. H. Finch, des Englischen gesandten an den König in pohlen rede 1725.

16. Antilojola s. Confess. Euseb. / beschreibung des jesuiter ordens, 1725.

17. Litterae et scripta in quibus continentur Gravamina et Responsiones Reipublicae Poloniae contra Regem Borussiae, 1725.

18. Aulae Berolinensis Responsio ad Gravamina R. P. poloniae, 1726.

19. des Primats in Pohlen Univ. verfahren wegen Absterben Königs Augusti, II. Breslau 1733.

20 Seconde Lettre d'un Hollandois a un Ami Prussien, ~~ms~~.

21. Epistola de prospera Electione Regis Poloniæ, 1733.

22. falsitas Narrationis de Electione Stanislai et Augusti III, 1734

23. Veræ Rationes quæ dederunt motivum ad disprobandam Electionem Stanislai in Regem Poloniæ, 1734.

24. pacta conventa entre la Republique de Pologne et frederic August Duc de Saxe, 1733.

25. Motifs des Resolutions du Roy de Pologne et a Reponce a Vienne, 1733.

26. reponce du Comte de Golowkin au Grand Vizir, au sujet des affaires de pologne, a Varsovie, 1734

27 Capitulation zwischen der Vestung Weichsel-munde und der Russischen und Sächsischen Generalité, 1734.

28 Schrift wegen der von denen pohlen verlohrnen Völckern, Rechte,

29 Resultat de la Confoederation de Pologne, 1735.

30. Manifestatio Confoederatae Reipublicae Poloniae patriae insinuata, 1735. cum replicatione,

31 Continuation der Warschauer Confoederation 1735.

SOLIDA
Et
CONVINCENS
Responsionum,
SERENISSIMÆ AULÆ
BEROLINENSIS
Ad
Gravamina
REIPUBLICÆ POLONIÆ REFUTATIO.

Annô Domini MDCC XXVI.

CUm fides publica, tanquam primum, & principale fundamentum, & vinculum Societatis humanæ, nihil aliud sit, quàm dictorum Conventorumq; veritas & constantia; ideò Celsissimo Primati, omnẽ injustitiam & irrealitatem adversanti, transmissis quibusvis ambagibus, nihil ad rem facientibus, potiùs recto, quàm involucris verborũ tecto stylo immediatas Serenissimæ Aulæ Berolinensis Replicationes, sive Responsiones ex mente unanimi transacti feliciter Congressûs refutare placuit, ultimato præsenti scripto, & ampliùs non iterando.

Ex Pactorum Velaviensium Juramento Corporali Vallatorum Articuli 7mi de Homagio Eventuali Sacræ Regiæ Majestati & Reipublicæ Poloniæ ab Universis Prussiæ Ducalis Ordinibus, Magistratibus, Officialibus, Arcium, Portuum, Fortalitiorum, Civitatum Præfectis præstando, agentis in verbis.

Idq; in singulis NB. Ducum Prussiæ Homagijs coram Deputatis Serenissimi Regis, ac Reipublicæ Poloniæ repetent, juxta formulam juramenti specialem, quæ hic sequitur, de die verò ad præfatum Juramentum decernenda, NB. cum sua Regia Majestate, vel Ejusdem Legagatis convenient.

Item in eorundem Pactorum Articuli 21mi verbis:

Atq; fœdus hoc perpetuum, quotiescunq; novus Rex Poloniæ electus fuerit, aut NB. Dux Prussiæ in NB. Ducatum successerit, ab utraq; parte renovabitur, confirmabiturq; juramento desuper præstito per Deputatos, in animam Principalium jurantes.

Tria Requisita necessaria, dùm manifestissimè patent: Imo: quòd non Regibus, sed NB. Ducibus Prussiæ à subditis Homagium accipere tantùm, idq; coram NB Deputatis Serenissimi Regis ac Reipublicæ Poloniæ, pactum sit. 2do. Quòd non in absoluta horum voluntate positum sit, quem diem, ad homa-

Homagium accipiendum, constituere velint, sed quòd omninò necesse habeant, cum Serenissimo Poloniæ Rege de eodem in antecessum convenire, ac per consequens hujus desuper expectare Consensum. 3tio. Quod non Rex, sed NB Dux Prussiæ, non in Regnum, sed NB. Ducatum succedere, ac Pacta juramento renovare possit ac debeat.

Econtrario verò Literæ illæ, quibus Aula Berolinensis se de Homagio Regiomonti recipiendo Sacræ Regiæ Majestati Poloniæ die 28 Maij 1714 significasse, in novissimo Responso suo gloriatur, in verbis:

De eo Regiam Majestatem Vestram certiorem reddere, eidemq; simul significare volumus, ad recipiendum à subditis Nostris jam dicti Regni Homagium, diem Decimam proximi Mensis Septembris NB. præfixisse.

Item in Verbis:

Et Regia quoq; dignitas, ad quam manutenendam, Deus Ter Optimus Maximus vires, atq; media Nobis concessit, à nemine, nisi apertis hostibus antehac in dubium vocata fuit, hi ipsimet verò vi subsecuti de Pace Tractatus Ultrajectini justissimo huic postulato Nostro, plenè satisfecerint

Item in Verbis:

Ut supradicti Deputati non solum justo tempore, sed etiã sufficienti Mandato, ejus tenoris, NB. uti Dignitas Nostra requirit, instructi Regiomontum adveniant, ijdemq; tan-

quam Amici à Nobis queant recipi, atq; admitti. Quod ſi enim præter omnem ſpem alia ratione iſthuc venerint, de ijs NB. non admittendis certè Nobis conſtitutum eſt!

Item in Verbis:

Cæterùm conficiendo Actui Renovationis Pactorum, cum Regia Majeſtate Veſtra prompti etiam, paratiq; ſumus, modo in eo quoq; Regiæ Noſtræ Dignitatis, ab eaq; dependentium prærogativarum juſta habeatur ratio.

Clariſſimè demonſtrant, quòd modernus Aulæ Berolinenſis Sereniſſimus Princeps 1*mo* non tanquam Dux, ſed tanquam ac ſi Rex Pruſſiæ, à ſubditis Homagium accipere prætendens, recognitionem Regiæ ſuæ Dignitatis, licetſi illo ipſomet fatente, à quibuſdam Potentijs etiam nullum Jus ad Pruſſiam habentibus, nonniſi per Tractatum Ultrajectinum obtinuerit, nihilominus à Republica Poloniæ, cui tamen non tantùm omne in Ducatum Pruſſiæ Jus ſuum, ſed profectò incrementa Domûs ſuæ etiam debet, ſimpliciter, imò imperativé poſtulet, eidem apertis hoſtibus comparatæ, vires & media, quæ ad Regiam Majeſtatem manutenendam, à Deo conceſſa habet, oſtentando, inſimulq; apertè declarando, ſe ad Solennia Homagij accipiendi, Deputatos Reipublicæ neutiquam admiſſurum, niſi uti Dignitas Regia requirit, adventuri ſint. Quodq; 2*do* à Sacra Regia Majeſtate Poloniarum, diem, qui Reipublicæ ad

Ho-

Homagium Eventuale à subditis Ducatûs Prussiæ accipiendum, commodus videbitur, non priús inquirat, sed pro Regia, quam sibi adscribit, Dignitate, Actui eidem Decimam Septembris tam strictissimè, & indebitè præfigat, ut terminum eundem nec mutet, nec prolonget; quàmvis Sacra Regia Majestas Poloniarum Die 18. Augusti Anno 1714. sicq; longè antequam Aula Berolinensis sese Berolino movendo, minùs Status Ducatus Prussiæ Regiomontum congregandi, ullas adhuc expensas fecerant, amicissimè respondens in verbis:

Quòd non explorato in publico Congressu Ordinum Reipublicæ Consensu Universali, cathegoricum ac positivum Responsum nequeamus citiùs Maiestati Vestræ dare, nisi post Conventionem præfatorum Ordinum Reipublicæ ad Comitia Generalia; In quibus cum hujusmodi importantia negotia ad Universos Status spectantia, ab Universis finaliter soleant resolvi & expediri, in legitima & probanti forma; qualescunq; demum alij particulares privatarum Personarum, imò etiam Unius Ordinis non conjunctim cum reliquis, sive favorabiles sive contrarij sensus, vel demonstrationes Civilitatis in consequentiam agnitionis, seu derogationis Tituli alieni trahi, vocabuloq; hostium pro zelo Jura Patriæ defendendi, minimè nominari, multo minùs censeri pro talibus possunt.

Non modo indispensabilem Termini ejusdem

dif-

differendi neceſſitatem oſtenderit, ſed inſuper in earundem Reſponſiarum Verbis.

Nihilominus firmiter Majeſtatem Veſtram certificatam reddere volumus, primario ſuper hoc, quòd ex parte Noſtra, & totius Reipublicæ omnem congruam propenſionem ad conſervanda ſecum Jura Fæderatæ Amicitiæ, toties experietur, quoties placitum fuerit Majeſtati Veſtræ, inchoatam nuper Berolini per Magnificum Joannem Przebendowſki Supremum Regni Theſaurarium Plenipotentiarium Noſtrum & Reipublicæ, ſufficienti Inſtructione munitum, juxta gradus in eadem præſcriptos, Tractationem denuo reaſſumere, ac cum plenaria Reipublicæ ſatisfactione concludere, per Tractatum cum renovatione veterum.

Facilitatem ſuæ Regiæ Majeſtatis ac Reipublicæ ad differentias inter utramq; partem intercedentes, ac antequam Aula Berolinenſis imprimis ceu Rex in Ducatum Pruſſiæ ſuccedere, vel Pacta cum eadem renovare poſſet, neceſſariò priùs removendas declaraverit. Quis igitur præmiſſa penitiùs inſpiciens, non planè convincitur, quod actui, quem intuitu Homagij Eventualis Sacræ Regiæ Majeſtatis ac Reipublicæ Poloniæ præſtandi, noviſſimum Aulæ Berolinenſis Reſponſum jam peractum prædicat, potiùs illud Juris Axioma: Quod non ritè fit, nec factum eſſe cenſetur; exactè conveniat, quàm ut Sacra Regia Majeſtas ac Reſpublica Jura ſua, ſarta

tecta

tecta ad Posteros deferre obstricta, in eodem acquiescere possit. Eorum enim necessariorum Requisitorum defectus, eò minùs hoc ipso legitimatur, quòd Aula Berolinensis eo ipso die, quo solennia Actûs Homagialîs peracta esse dicuntur, Sacræ Regiæ Majestati Poloniæ, Ordinem Universæ rei gestæ significaverit, cum adjecta assecuratione, rem perinde valituram, ac si Delegati Reipublicæ, Actui Homagiali præsentes adfuissent; quo plura contra expressas Serenissimi olim Electoris Brandeburgici, intuitu Tituli Regij assumendi ad Sacram Regiam Majestatem Poloniæ Anno 1700. Die 30 Novembris datas Reversales in Verbis:

Fide, verboq; Electorali declaramus, nihil ex hac Majestatica prærogativâ Prussiæ Nostræ, quæ nunc Ducalis appellatur, præjudicij inferendum, nec inferri posse Juri, ac Possessioni Regalis Prussiæ, quâ Serenissimus Rex, & Inclyta Respublica Poloniæ gaudent.

Fundamentalia Orientalis, seu Ducalis Prussiæ Jura, & statum planè evertentia, necnon ipsi Reipublicæ Poloniæ, Prussiæq; eidem incorporatæ, maximè præjudiciosa attentata, v. g. proprio, & privato motu immutationis formæ Actûs Homagialîs, ac Rothæ juramenti in Pactis præscriptæ, Regiminis pro moderandis Orientalis, seu Ducalis Prussiæ rebus ex quatuor Indigenis constituti, duobus Refor-

matæ Religionis aucti ; Magiſtratus Civilis ex tri-
bus illis, qui ſingulis Regiomontanis Civitatibus Præ-
fecti erant, in unum transformati ; Contributionũ,
Nobilitati ab oneribus, niſì quæ ipſamet laudat,
liberæ, intuitu agrorum, aliorumq́, præſtandorum, æ-
què ac Colonis, ac Subditis impoſitarum ; Cameræ,
vulgò Domainen-Cammer dictæ pro reditibus, mo-
dis quibuſcunq; adaugendis Regiomonti, & quidem
non ex Indigenis, ſed quàm plurimis ex Marchia
oriundis, noviter inſtitutæ ; Monetæ valoris ac pon-
deris, Pruſſicâ multò minoris, ex Marchia in curſum
Orientalis, ſeu Ducalis Pruſſiæ introductæ ; Modio-
rum, Ulnarum, ponderum ad ſimilitudinem Mar-
chicorum adauctorum ; Commerciorum Polonis
intuitu ſiliginis per publica Edicta prohibitorum,
tum per impoſitionem quatuor Talerorum de ſin-
gulis Bobus Polonicis ab Emptore Pruſſico Orien-
tali ſolvendorum, maximè impeditorum ; Acciſa-
rum, ad quævis Civitatum, ac Oppidorum repagula,
æquè à Peregrinis, quàm à Pruſſis Orientalibus ſol-
vendarum ; Telonei Pillavienſis loco ejuſdem abro-
gationis in puncto 8*vo* Reſponſi à Sacra Regia Ma-
jeſtate, & Republica poſt noviſſima Comitia Do-
minis Ablegatis de Schwerin die 30 Decembris
1724. Varſaviæ dati, in fundamento Tranſactionis
de Anno 1642. curſum ejuſdem ad Annum 1645.
ſolum-

ſolummodo concedentis, tam inſtantaneè expoſtulatæ, ad modios Marchionum Anno 1725 regulati, ſicq; de novo reverà aucti, Exactionis Stromgeld à Mercibus etiam Elbingenſibus adhuc dum perceptæ &c. Quo plura, inquam, recenſita attentata ad oculum demonſtrant, quantùm ejuſmodi Aſſecurationes, invalidam contra præjudicia ex aſſumpto Regio Titulo metuenda hactenus præſtiterint, atq; in futurum præſtare valeant ſecuritatem, ne modernus Aulæ Berolinenſis Sereniſſimus Princeps adhuc majora, cum ulteriori Pactorum infractione, vel ejuſdem futurus Succeſſor, eandem Homagij in abſentia Deputatorum Reipublicæ ab Orientalibus, ſeu Ducalibus Pruſſis recipiendi libertatem ſit uſurpaturus. Nec valet argumentum, quòd Actus Homagialis ſecundum conſuetum olim rituale, ſinè denominatione Regis, ideo celebrari nequeat, quia Aulæ Berolinenſis Sereniſſimus Princeps non in Europa modo, ſed in Aſia, & Africa à Supremis Potentijs pro Rege agnitus eſt. Cùm enim Tertio nemo præjudicare valet, maximè in rebus ſtatum concernentibus, ita nec in præjudicium Reipublicæ ullatenus vergere poteſt, quòd alij Supremi dominantes Aulæ Berolinenſi Regium attribuant Titulum, & quidem de ea NB. Provincia, quæ ipſos planè non tangit, ſed quam Aula

Berolinensis haud pridem in Feudum à Republica acceperat, & quàmvis certis sub conditionibus (utì inferius ad Punctum *6tum* ostendetur,) Supremum Dominium eidem expost ibidem concessum sit, attamen utì superius adductum, non in Regnum, sed NB. in Ducatum, nec Major, quàm Ducis Titulus eidem largitus est. Quomodo ergo quispiam alius Provinciam Reipublicæ Poloniæ tantopere connexam, in præjudicium Sacræ Regiæ Majestatis, ac Reipublicæ in Regnum convertere, minùs concedere valet? ut Aula Barolinensis, licetsi Partem Prussiæ Orientalem, seu Ducalem solummodo habeat, attamen Titulum Regis simpliciter Prussiæ, sibi adscribat. Hinc Titulô Prussiæ Regiô ab Aula Berolinensi assumptô, Jus contradicendi Reipublicæ Poloniæ competens, quò clariùs patet, eò inconvenientiùs est; Reipublicæ postulatum (ut differentiis intercedentibus per Tractatum cum renovatione veterum, inter Sacram Regiam Majestatem, & Rempublicam, tùm inter Serenissimam Aulam Berolinensem in eundum, priùs remotis, assensus Reipublicæ super Regio de Provincia tam arctè Regno Poloniæ subnexa, assumendo Titulo, æquis redimatur conditionibus) insolens ab eo dici, qui ipsemet, ut supra professus est, se nonnisi per Tractatum Ultrajectinum, à quibusdam Potentijs

ad

ad Provinciam Prussiæ Ducalis, nec quidquam Juris habentibus, pro Rege recognitum esse.

Ad 2dum.

Minimè convenienter, quinimo exorbitanter, & indecenter à Principe Pactis obstricto, & alias multiplicî titulô, Serenissimo Regi, & Reipublicæ Poloniæ, obligatô, asseritur & obtenditur, nuncupando ignominiosô vocabubulô NB. Lanienam, Executionem legitimam Thorunensium fuisse Causam persecutionis Cleri Catholici in Ducali Prussia, cum tamen Judicata Judicij Regij, & debita Justitiæ Administratio alium respectum, aliasq; mereantur denominationes, & non injuriosas cavillationes. Adeò verò alienum est à veritate, quidpiam in Polonia, aut Lithvania Religionis causâ contra Dissidentes, ex gratuita tolerantia tantùm non ex Pacto rigoroso pace fruentes, illegitimè actum esse, ut nec questio subinde rectè moveri queat Iam autem Parochum Regiomontanum, & alios, contra vim, & tenorem Pactorum, plurimas injurias perpessos esse, & hactenus perpeti, authenticis etiam documentis, ac ipsa notorietate Factorum, quæ nulla tergiversatione celari queunt, facilè probâri potest. Proindeq; iterum atq; iterum urgetur indila-

ta ſatisfactio in gravaminibus, & ſpoliis noviſſimè attentatis, ſeorſivoq; ſcripto expoſitis.

Ad 3tium.

Pacta Velavienſia, quibus confirmati ſunt etiam Receſſus, aliâ, quàm in ſe ſonant, interpretatione non indigentes, quoad exercitium Religionis duntaxat Catholicæ, & Auguſtanæ Confeſſionis, & quoad aſſumptionem ad Officia Perſonarum clarè diſponentes; quibus deniq; Supremum Dominium in Ducalem Pruſſiam, quoad præmiſſa: & alia in ijsdem Pactis contenta reſtrictum eſſe dignoſcitur, infracta eſſe per Aulam Berolinenſem, negari non poteſt, tum quàm integrum Jus ſit Reipublicæ eorundem Pactorum reparationem, & injuriarum ſatisfactionem urgere.

Ad 4tum.

Quàm iniquè Parochus Catholicus legitimè inſtitutus, & Parochiani Catholici ſpoliati ſunt Eccleſiâ Liſnovienſi, jam antecedenter deductum eſt, & non deſcendendo ad Jus petitorium, inſtatur in puro poſſeſſorio, & pro purgatione hujusmodi ſpolij, utì in conferentia per Deputatos ex Generalibus

Co-

Comitijs Anni 1724 primò punctô est insinuatum. Quanquam etiam in petitorio pro Catholicis ipsamet evincere se potest Iustitia, nam uti non negatur longé ante Pacta Velaviensia adhuc circa Annum 1622. eandem Ecclesiam ad Catholicos spectasse, in eorumq; actuali possessione fuisse, probare facile est; adeoq; ante, & post dicta Pacta Velaviensia, quod etiam Rescriptum Serenissimi olim Friderici Wilhelmi Ducis Prussiæ de Anno 1674to. manifestè comprobat.

Ad 5tum:

Conatur equidem novissimum Aulæ Berolinènsis Responsum, occupationis Propugnaculi Bolwerk-Schantz eomet defendere, quod (1) prædictum Propugnaculum in Territorio, per Articulum *5tum* Tractatûs retraditæ Elbingæ pacificè possidendi, sibi concesso, naturaliter situm, in modo allegato Tractatu neutiquam specialiter exceptum sit, (2) neq; ad munitionem Urbis Elbingensis idem Propugnaculum accenseri possit, ex quo illud ipsum milliari ab Urbe distet, nec munimentis ejusdem cohæreat, minusq; (3) in præjudicium Aulæ Berolinensis valere queat, quòd per nuperos belli motus, à Svecis, Russis, & Saxonibus Propugnaculum illud oc-

cupa-

cupatum fuerit. At si Aula Berolinensis præter alia innumerabilia exempla in memoriam revocabit, quòd Fortalitium Walfis dictum, in Territorio Wismariensi situm, à munimentis quondam Vismariæ quàm longissimè distans, ipsâmet Aulæ Berolinensis armorum conjunctione coadjuvante, unica illa ex causa, à Danicis funditùs dirutum sit, quod Fortalitium illud, fervente inter Danos, & Svecos novissimo bello, Vismariæ, potissimæ fuerit defensioni, facillimè Aula Berolinensis convincetur, ea, quæ ad Civitatum munimenta pertinent, non ex distantia vel naturali connexione loci, sed ex defendendæ Civitatis commoditate, & utilitate censenda esse, ab omnibus Fortalitiorum structoribus, ac Defensoribus quotidiana praxi adstipulante, haud aliter censeri, ac per consequens Propugnaculum Bolwerk-Schantz ad munimenta Civitatis Elbingensis omninò pertinere, neutiquamq; de ejusdem esse Territorio, licetsi in eodem situm sit, maximè si insuper Aula Berolinensis considerabit, hoc ipsum Propugnaculum, ad avertendas hostilium navigiorum incursiones, in ipso fluminis Elbing ostio, pari ratione extructum esse, utì Fortalitium Weissel-Munde in Ostio Vistulæ, ac Fortalitium Trave-Munde in Ostio fluminis Trave, quorum utrumq; defensioni Gedani, & Lubecæ Civitatum præcipuà inservire,

uti-

utiliſſimumq́ eſſe, nonnisì bellicæ artis penitùs ignarus, vel apertiſſimis contradicere amans, negare poterit; maximè quòd ejuſmodi ac imprimis *Propugnaculum* Bolwerk-Schantz, Territorio, nec minimùm defenſionis, nedum utilitatis præſtare valet, ſiquidem hoc ipſum in aqua exſtructum, non modò naves priùs conquirere neceſſe haberet, antequam Colonis Territorij etiam proximis ab hoſte infeſtis ſuccurrere poſſet, ſed inſuper multò minoris capacitatis eſt, quàm ut tot capiat milites, quot in caſum hoſtis ingruentis, tum ad propriam Propugnaculi Bolwerk-Schantz defenſionem, tum ad militum delectum requiruntur, qui in auxilium Territorij laborantis mittendus eſſet, ut taceatur, quòd Propugnaculum Bolwerk-Schantz multò longiùs à terra firma diſtet, quàm ipſa tormenta, ex eodem oneranda, hoſtem, proximos etiam Territorij Pagos infeſtantem attingere poſſent. Ex quibus, necnon ex eo, quod Sveci & Ruſſi, in noviſſimo bello, Civitatem Elbingenſem tenentes, licetſi nullus eorum Aulam Berolinenſem in Poſſeſſione Territorij, vel in minimo interturbaret, attamen ſe minùs in Civitate tutum ratus, nisì eidem *Propugnaculo* Bolwerk-Schantz milites ſuos impoſitos haberet, idem ceu ad Fortalitii Elbingenſis munimenta, indiſſolubile pertinens, ſtatim occupatum, haud priusquam

ipſam Civitatem evacuavit ; quo omni, contradictione firmiùs concluditur : Propugnaculum Bolwerk-Schantz quàmvis in Territorio ſitum ſit, neutiquam de Territorio, ſed unicè ad Civitatis defenſionem ibidem exſtructum eſſe, eò verior ac unica hæc eſt ratio, quòd in Tractatu Retraditæ Elbingæ, intuitu hujus Bolwerk-Schantz, ideo nulla exceptio expreſsè poſita ſit, quia idem ad Civitatis munimenta pertinet, ac per conſequens inſimul ab omni Aulæ Berolinenſis prætenſione, re ipſa exemptum fuit, poſtquam per expreſſa Tractatûs modo allegati Articuli 2di Verba :

Civitas Elbingenſis quovis deinceps Jure, & prætenſione Hypothecæ Elbingenſis, aliisq; inde emergentibus in perpetuum NB. abolitis.

Præcautum eſt, ne Aula Berolinenſis ad ipſam Civitatem Elbingenſem, ejuſq; pertinentia, quidquã Juris ampliùs habere debeat. Id, quod clariſſimè etiam exinde patet, quod Sereniſſimus Poloniæ Rex, ac Reſpublica ſecuritati Civitatis Elbingenſis proſpicere volentes, in prædicti Tractatûs Artic: 5ti Verbis,

Sinè tamen quavis innovatione, aut quocunq; colore, NB. Fortalitij exstructione, verùm in ſtatu quo.

Expreſsè ſtipulati ſint, ne miles Brandeburgicus ullum Fortalitium Civitati nocivum in Territorio

El-

Elbingensi habeat, eometq; ipso per optimam consequentiam insimul Propugnaculum Bolwerk-Scantz, utpote in remCivitatis equidem exstructum, sed quoties ab alio occupatum, Civitati æque maximè præjudiciosum, illud ipsum Propugnaculum Civitati omnino salvum asseruerint. Quæ validissima assertio insimul reliquam Aulæ Berolinensis exceptionem, ac si Eidem præjudicare non valeat, quòd per nuperos belli motus præfatum Bolwerk-Schantz à Russis, & Svecis insessum fuerit, eò apertiùs infringit, quò certiùs, quòd Sveci & Russi, utì supra jam ostensum est, idem Propugnaculum, non modo pro indissolubili Civitatis munimento habuerunt, ibidemq; ab ipsa statim Civitatis occupatione, occuparunt, sed quò exactiùs ab ipso moderni Serenissimæ Aulæ Berolinensis Principis, gloriosissimæ memoriæ Parente, idem Propugnaculum non aliter, quàm pro munimento ad ipsum Civitatis Fortalitium pertinens, habitum sit; qui allegata ex Articulo *5to* Retraditæ Elbingæ verba, sibi apertissimè contrariari videns, nec circa ipsam Territorij occupationem, quàmvis Territorium ipsum NB. multò ante jam occupaverat, quàm Sveci Elbingam venirent, nec tunc, cùm Russi idem Bolwerk-Schantz Propugnaculum relinquerent, eidem milites suos imposuit. Cui accedit, quòd nec

ipſe modernus Aulæ Berolinenſis Princeps contra dixerit, cùm motibus bellicis pacatis, miles Reipublicæ in præſidio Elbingenſi jam exiſtens, idem Propugnaculum cuſtodiret, quin potiùs miles moderni Sereniſſimi Aulæ Berolinenſis Principis, qui præfatum Propugnaculum à milite Præſidiario Elbingenſi, certis ex cauſis ad tempus evacuatum, aliquando intraverat, ſtatim ex eodem receſſit, quam primùm informatus fuit, ingreſſum ejuſdem, claris Tractatûs Retraditæ Elbingæ repugnare verbis. Inſuper Propugnaculum hoc neq; ex Parte Civitatis, neq; Milites Præſidiarij Elbingenſis pro derelicto fuit habitum, quod luculenter patet ex Cuſtodia ædificij vulgò Corpdegarde, & poſt ſe relictis aliqot tormentis bellicis, quæ adhunc uſq; diem ibidem exiſtunt, evacuationem verò à milite ad tempus, ruptura aggeris Nogathi per 5. Annos, & ultra, inundatio circumjacentis Territorij, & pro parte deſtructio Valli cauſavit; ſi verò contrarium exinde colligi vellet, ſine omni dubio omnia adhuc ejuſmodi exiſtentia munimenta funditùs à Sacra Regia Majeſtate, & Republica everſa fuiſſent. Unde clarè eluceſcit, quòd animus reoccupandi illud ſemper fuerit; pro conjuncturarum, & periculorum obvenienti neceſſitate, eoq;met ipſo, ſpem adhuc, dum indubitatam relinquit, Aulam Berolinenſem

ſupe

ſuperiùs ad & deducta penitiùs inſpicientem, eò faciliùs militibus ſuis mandaturam eſſe, ut ſæpiùs dictum Propugnaculum Bolwerk-Schantz quantocyùs deoccupent, quo accuratiùs id ipſum amicitiæ, quam eidem erga Sacram Regiam Majeſtatem, & Rempublicam in noviſſimo hoc ſuo Reſponſo iterum declarare placuit, conveniret.

Illud verò Celſiſſimum Primatem, ac Dominos Senatores, & Miniſtros Satûs, qui apertiſſimum conſiderantes periculum, cui Limitaneum Elbinga Fortalitium, quovis hoſtilitatis momento exinde ſubjacet, quod milites Brandeburgici in Suburbio Laſtadie dicto, Domum Civis Papale dicti, ab ipſis Fortalitij munimentis, ultra centum paſſus vix diſtantem occupantes, eamq; in Domum Vigiliarum, Domum, quam ante eandem, cui locum tenens, eorundem Officialis è Regione inſidet, continuò Vigilias agant, inter alia, & hujus Vigiliarum Domus contra Tractatum Retraditæ Elbingæ facultatem, equidem Patronimicum Civitatis Elbingenſis Territorum pacificè, neutiquam verò ejuſdem Suburbia occupandi permittentem, à militibus Brandeburgicis hucuſq; inſeſſæ, evacuationem expoſtularunt, Senatores inquam, ac Miniſtros Statûs quamplurimùm afficit, quòd levitatis arguantur, quâ falſis Elbingenſium querimonijs illicò fidem

ac assensum præbuerint, evacuationemq; ejus Vigiliarum Domûs efflagitaverint, de qua tamen Aula Berolinensis, non modo (utì Verba ejusdem desuper dati Responsi ipsa sonant) non cogitavit, nec ad illius exstructionem mandata dedit, sed neq; post accuratissimam non Elbingæ solùm, sed Regiomonti quoq, & Berolini, ea de causa factam inquisitionem, illius rationem, minùs ejusmodi Vigiliarum Domum, in Suburbio Civitatis Elbingensis, omnî etiam adhibitâ diligentiâ reperire potuit. Quæ inquisitionis factæ illatio, si vera est, vicibus Aulæ Berolinensis omnino compatientes, quòd in re non solis Elbingensium, sed omnium Elbingam solummodo transeuntium, ac imprimis Præsidij Reipublicæ jam Elbingæ existentis, oculis manifestissimè exposita, Eadem à suis tantopere circumducatur; equidem in vim probationis, quòd milites Brandeburgici Domum Vigiliarum, licetsi ad mandata Aulæ Berolinensis non exstructam, nihilominus in Suburbio Civitatis Elbingensis teneant, exemplum non allegant, quo Brandeburgici ibidem excubantes Anno 1722. die 22. 9bris circa horam decimam vespertinam, in Suburbanos extraditionem Fabri lignarij Schultz, ex ipsa ibidem viâ regiâ paulò ante rapti, inq; eandem Vigiliarum Domum, ut nomen militiæ daret, obtortô collô deducti, instantissimis præcibus

soli-

ſolicitantes, ſclopetas exonerârunt, necnon in eodem Suburbio in multam noctem circumvagantes, quoſquos Suburbanos colloquentes offenderent, diſpulerunt, ſequentiq; die numerum ibidem excubantium ad quadraginta milites auxerunt: attamen Aulam Berolinenſem à ſuis ita perſvaſam, neutiquã celandum eſſe ducunt, quòd de Brandeburgicis Equitibus in Territorio ſubſiſtentibus, ad minimum Viginti per menſes alternatim, quoties verò Luſtrationis causâ, hi ipſi Equites Elbingâ proficiſcuntur, in eorum locum invalidi Pedeſtres Pillaviâ advecti, in eadem Vigiliarum Domo continuò excubias continuant, quodq; in caſum quo, an fides præmiſſis adhibenda ſit, adhuc dum dubitaretur, ad fidem Generoſi Vice-Colonelli Timero de Regimine Domini Generalis de Blankenſec eorundem excubantium locum nunc tenentis, inq; eodem Suburbio è Regione ſæpius dictæ Vigiliarum Domûs conſiſtentiam habentis, omniumq; illorum Brandeburgenſium Miniſtrorum, qui Elbingam, equis Colonorum Elbingenſium ſuppeditatis (vulgò Podwode) transvehuntur, ac apud nominatum Generoſum Vice-Colonellum, vel Anteceſſores ejuſdem diverterunt, tutò provocetur. Interea tam diligentiſſimè, de hac in Suburbio Elbingenſi Vigiliarum Militis Brandeburgici Domo, uti prætenditur, ab Aula Berolinenſi

linensi instituta Inquisitio, ejusdem ibidem existentiæ tam emphatica negativa, quò firmiùs est argumentum, quod eadem Aula occupationem præfatæ Vigiliarum Domus à milite ejus cntra Tractatum Retraditæ Elbingæ factam esse, Ipsamet non modo agnoscat, sed insimul ulteriorem ejusdem detentionem improbet; hinc Celsissimus Primas, & Domini Senatores, ac Ministri Satûs, totos sese habent persvasos fore, ut Berolinensis Aula ad iteratas desuper faciendas Instantiales, quantocyùs eandem evacuare demandet.

Ad 6tum.

Quòd Celsissimus Primas, in Memoriali, Sacræ Regiæ Majestati super nonnulla contra Rempublicam expressis Pactis non obstantibus ab Aula Berolinensi læsiva, attentata, die 11. Septembris 1725. nomine publico porrecto, inter alia restituenda, immunitatem salis transmarini Elbingam sinè omni impeditione invehendi urgens, scripti illius Titulô, Ultima ac Finalis Demonstratio novissimè typis evulgati, ideo nullam fecerit mentionem, ac si ad illud scriptum nihil reponere valeret, in eo Aula Berolinensis, tantò apertiùs sibi nimìs blanditur, quantò faciliùs cuiq; prudenti Reiteratam ad Ulteriorem

Be-

Berolinensem Deductionem, Responsionem Polonicam, cum Ultima illa, ac Finali Demonstratione Berolinensi, sinè omni partium studio, conferenti Lectori cognoscere licet, in Ultima, ac Finali Demonstratione quàmvis copiosioribus verbis, attamen nihil novi prolatum esse, quod non tam in anterioribus Sacræ Regiæ Majestatis ad Aulam Berolinensem desuper toties, quoties datis Responsis, tum in reiterata, ad ulteriorem Berolinensem Demonstrationem Responsione Polonica, omni, atq; sic etiam Ultimæ ac Finalis Demonstrationis exceptione majus, ad nauseam usq; jam refutatum sit; maximè si ipsa Pactorum verba, ex quibus reiterata Responsio Polonica ad positionem Ulterioris Berolinensis Deductionis, ac si transitus utriusq; Subditis sinè omni limitatione liberrimus esset, sinistrè prætendentis, confundendam, brevitatis ergò limitationes solummodo excerpsit; si inquam in reiterata Responsione Polonica, Paginis 10. & 11. allegatorum ex Pactis locorum, verba ipsa integra relegens, deprehendet, quod Ultima ac Finalis Berolinensis Demonstratio, toties, quoties quædam Pactorum verba citavit, ea quæ Crinomenon causæ referunt, propositoq; suo è diametro obstant, vel planè omisit, utì Pagin. 9. in allegatis ex pactis de Anno 1436 hæc verba:

 An-

Antiquis NB. Depositis, prout supra salvis, licèt hæc ipsa, ea quæ typis ibidem expressa sunt verba, *np* quo eis placuerit, immediatè sequantur. Item dum eadem pag. 9. Annum 1454. quo D. Casimirus in Privilegio Incorporationis, Borussis, stratas versùs Hungariam, Russiam, liberas pronunciavit, solummodo citavit, verba verò, liberas has stratas limitantia in verbis:

Et stratis antiquis Civitatum Regni, & Dominiorum Nostrorum semper salvis

silentio præterijt: vel etiam si verba liberum transitum limitantia omittere, ob allegati textûs connexionem integrum non fuerit, attamen eadem neutiquam ejusmodi typis, quibus ea, quæ instituto suo, quadantenus convenire ipsi visa sunt, à cæteris prolatis distinxit, uti ex inspectione oculari verborum, eadem pagina *9na* ex Pactis 1466. allegatorum facillimè ei patebit, qui observabit, quod hæc ibidem expressa verba:

Nisi solitis & veteribus stratis, itineribus & locis ambulare. ijsdem solummodo Characteribus expressa sint, quibus cætera, quæ Instituto suo minùs favent, sicuti ejusmodi plura, cæteraq; rem Pactis contrariam colorantia indicari facillimè poterunt, si ad Ultimam ac Finalem Berolinensem Demonstrationem fusiùs replicare adhuc Reipublicæ è re visum fuerit.

Ad

Ad cujus fidem Aulæ Berolinenſi faciendam, non tamen hic omittendum erit oſtendere, quàm lubricô, illud juris Depoſitorij Elbingenſi Civitati competentis annihilandi causâ, ex Abjudicato Thorunenſibus Depoſitorio formatum argumentum, nitatur fundamento. Omnis enim privatio, dúm habitum præſupponit, nemo procul dubio negare audebit; Civitatem Therunen: Jure Depoſitorij ante ſententiam pleniſſimè gaviſam eſſe, eoq;met ipſo Relationem Simonis Grunau, & Waiſſelij uno, ut ajunt, ore atteſtantium, Thorunio, Elbingæ ac Regiomonto, Generale Depoſitorij Jus à Magiſtro de Knipro-de Anno 1365. jam collatum eſſe, potiùs confirmari, quàm infringi. Imprimis dùm hujus Abjudicationis Hiſtoria, non modo Proteſtationes à Terrarum Pruſſiæ Statibus, & Ordinibus, ſpeciatim verò à Palatinatûs Culmensîs Nobilitate, ante ipſam adhuc factam Abjudicationem, deſuper illatas refert, ſed ipſum Abjudicationis Decretum diſertis atteſtatur verbis, quod Depoſitorium Thorunenſibus nullatenus ex eo fundamento, ac ſi Simonis Grunau, & Waiſſelij ſuperius allegatum teſtimonium, utì Ultima ac Finalis Demonſtratio infert, in dubium vocatum fuiſſet, ſed planè aliâ, imò ſtatûs potiùs ex ratione, neq; ſimpliciter, ſed tantummodo reſtrictivè, reſpectu Mercium Polonicalium abjudi-

catum ſit. Cùm verò Jus Depoſitorij Civitati Elbingenſi nunquam abjudicatum reperiatur, quin potiùs Elbingenſes id liberrimè exercentes, contra impetitiones, ſi quæ evenerunt, & quidem indebitè, ſicuti allegatum in Reiterata Reſponſione Polon: pag 47. exemplum probat, validiſſimè ſeſe defenderunt. Inſuper accedit, quod defluitatio mercium Polon: in Viſtula à tranſvectione merciū per fluviū Elbing quàm plurimū differat, ut potè quod (1) Viſtula flumen publicū, Elbing è contrario privatū ſit, quò cū diſpendio adjacentium eò minùs cuiquam uti licèt, quò juſtiùs Legislatore Romano *per Arg. l. 6. f. de Juſtitia, & jure* adſtipulante, omnes Juris periti reputant, flumina publica, etiam pro cujuſq; Populi aut Civitatis conditione, certis circumſcribi Legibus. (2) Quòd Viſtula non ſolùm minores quaſdam Hanſeaticas Civitates præterfluat, ſed & ad aliud ducat Emporium; Elbing fluvius verò infra Civitatem Elbingenſem nec oppidum attingat, ſed in Lacum Drauſen circumcirca terrâ firmâ clauſum ſolummodo devolvatur, & exoneretur. Ecquis igitur non percipit, quàm invalidiſſimæ contra Authores, Jus Depoſitorium Elbingenſe à Crucigeris firmiter conſtitutum atteſtantes, in Ultima ac Finali Demonſtratione Berolinenſi, poſitæ ſint exceptiones?

Quanta itidem invaliditate, illæ, ſat ſpecioſè exco-

cogitatæ ſubtilitates laborent, quibus ſub prætextu, ac ſi bellum, quod D. Sigiſmundum Poloniæ Regem inter, & Generalem Magiſtrum, poſtmodum verò Boruſſiæ Ducem Albertum recruduit, ea potiſſimùm de cauſa à Crucigeris reſuſcitatum fuerit, quòd Conditiones Pactorum perpetuæ Pacis de Anno 1466. Thorunij inter D. Caſimirum, & Magiſtrum Ludovicum de Erlichauſen, Ordini Ejuſdem, nimìs duræ viſæ fuerint, Ultima ac Finalis Demonſtratio evincere ſatagit, quòd pace dein ſubſecutâ, *Pacta* de Anno 1466. paulò ante allegata, per *Pacta* de Anno 1525. inita, penitùs ſublata, ſicq; Dux Pruſſiæ Albertus in priſtinum, in quo ante Pacta de Anno 1466 Crucigeri fuêre, Statum reſtitutus ſit, ac per conſequens dimidium Lacûs Drauſen, qui in Pactis de Anno 1466. Regno Poloniæ integer manſit, ad Pruſſiam Orientalem, quatenus Territorium ejusdem alluit, redierit, Sole meridiano clariùs ex ſequentibus patebit. Etenim ut taceatur, quod Ultima ac Finalis Demonſtratio pag. 9. eadem Annô 1466. *Pacta* allegando ipſamet concedit, quod hæc de Anno 1466. Pacta adhuc ſubſiſtant: ita ipſiſſima quoq; eorundem *Pactorum* de Anno 1525. apud *Przyluſium* fol. 763. invenienda verba:

Imprimis id præcipuè ac potiſſimùm conſiderantes,

 omnes

omnes diſſenſiones, bella, contentiones, & conflictus inter Regiam Majeſtatem, & Dominum Magiſtrum, ejusq; Terrarum Incolas hic ortas & emanatas eſſe, eò NB. quòd non unus Princeps Hæreditarius omnium Terrarum Pruſſiæ Gubernator hucusq; extitiſſet, dictaq; Pruſſia diverſorum Procerum Capitibus gubernata eſet, unde Terrarum ipſarum Incolæ pernicioſis inter ſe bellis, & contentionibus digladiabantur.

(1) planè aliam reſuſcitati, D. Sigiſmundum inter, & Generalem Ordinis Magiſtrum belli cauſam, quam duriſſimarum Ordini Crucigerorum in *Pactis* de Anno 1466. impoſitarum Conditionum profitentur, ſed (2) paulò poſt eorundem de Anno 1525 Pactorum ſequentia apud *Przyluſium* fol. 764. reperienda verba:

Quod præfatus Dominus Magiſter Frater, & Avunculus, ac Sororius Noſter retroactis temporibus, quando Officio Magiſterij fungeretur, multifarias fatigas, & labores hucusq; ſubivit, apud omnes Status Chriſtianorum Principum eoſdemq; omnes ſæpius requirendo, operam diligentem impendit, ſperans, eoſdem invigilaturos, quo ipſæ ſeditiones, & controverſiæ, ac diſſenſiones ſecundùm NB. continentiam infraſcriptæ Perpetuæ Pacis, per Sereniſſimam Majeſtatem felicis recordationis NB. Caſimiri Regis olim Thorunij confectæ, & juxta Compromiſſum in proximo quadrigennio per Cæſaream Majeſtatem,

&

& Regiæ Serenitatis Hungariæ Oratores in præsentia Sanctissimi Leonis Papæ Legati &c. Thorunij factam componerentur, & concordarentur.

Disertissimè eloquuntur ipsum Magistrum Albertum, Pacta de Anno 1466 neutiquam abolita voluisse, quàm potiùs eadem, ut conservarentur, summos Pontifices, Cæsaream Majestatem, Sacrum Romanum Imperium, necnon Nobilitatem Germaniæ, in auxilium vocasse, ac expresse petijsse, ut exortæ dissensiones, utì ipsa verba sonant, secùndum continentiam Pactorum per Serenissimum Casimirum Thorunij (sub quibus ipsamet Ultima, ac Finalis Demonstratio pag. 22. nulla alia, quam Anno 1466. inita intelligit) confectorum componantur (3) Ipsa Terrarum Prussiæ Nobilitatis, & Civitates quoq; in approbatione Pactorum de Anno 1525. clarissimis apud Przylusium fol. 776. inveniendis confirmant verbis:

Quod sanè ita erat in manifesto, ut aut ipsum nova cum calamitate Christianorum fuisset suscipiendum, aut NB. in contractum Thorunensem, cui Titulus est NB. Perpetuæ Pacis conjurandum. Quando igitur versaremur inter duo ejusmodi pericula, ut, aut arma Patriæ Nostræ intoleranda, deinceps forent capessenda, aut necesse esset consentire in Concordiam, & prædictum Contractum Perpetuæ Pacis, nec in aliam partem

se

se flecti permitteret Serenissimus Rex Poloniæ, & Inclytum ejus Regnum, respexit Deus propitijs oculis, in pias preces calamitate afflicti populi, deditq; ex improviso pios ac prudentes pacis per alium modum Procuratores. Hi Divinâ inspiratione invenerunt Articulos Transactionis & pacis cùm justos, tum Christianos.

Quod vero hi Articuli Transactionis inventi, neutiquam utì Ultima ac Finalis Berolinensis Demonstratio sinistrè fingit, Pacta de Anno 1466 Sustulerint, sed cum firmitudine eorundem, hoc solummodo invenerit medium, ut Pars Prussiæ ad Crucigeros tunc adhuc spectans, secularisaretur, inq; Feudum Reipublicæ Polonæ mutaretur, non solum expressa supra allegatæ Nobilitatis, ac Civitatum Approbationis eloquuntur verba:

Imprimis autem suâ providentiâ curârunt, quo restringeretur fons, unde hactenus tot mala fluxerunt, scilicet, ut habeat Terra Prussiæ NB. Principem Hæreditarium, qui justis de causis Superiorem recognoscat Serenissimum Regem Poloniæ, & Inclytum ejus Regnum.

Sed hæc, quæ ibidem immediatè subsequuntur verba:

Quandoquidem certis jam indicijs, & argumentis haud fallacibus, jam tandem evidenter cognoscimus fundum, & solum Terræ Prussiæ intra fines, Limites, & circulos Ditionis Inclyti Regni Poloniæ contineri, & concludi,

sat

Sat dilucidè insimul probant, quod inclytum Regnum Poloniæ de ijs fundis, quos ante hanc pacem, mediantibus Pactis possedit, ne quicquam Duci Alberto per Anni 1525 Pacta, ac per consequens, minus etiam dimidium Lacus Drausen cessit. Id, quod tantò veriùs est, quantò certiùs, nec in toto Pactorum de Anno 1525 contextu abolitorum de Anno 1466 Pactorum, nec in eorundem de Anno 1525 Pactorum §. Item debet Regia Majestas ex adverso &c. (vide Przylusium fol. 765) omnia loca à Regia Majestate Polon: Duci Alberto in Feudum conferenda recensente, ne jota quidem Lacûs Drausen, nullaq; mentio facta legitur, quod tamen necesse fieri debuisset, nisì illud subsistere voluissent, quod non sublatum: utì de ijsdem Anno 1466 Pactis, in Responso, Oratoribus Ducis Prussiæ super Appellatione ad Regiam Majestatatem facienda, dato, apud Przylusium fol. 785 inveniendis verbis:

Cùm itaq; Privilegium ejus Illustritati concessum claré testetur, ejus se cum omnibus conservare debere erga Majestatem suam, utì fidelem Subditum, & Vasallum de jure decet, & Articuli Transactionis satis declarent Majestatem suam ea duntaxat Privilegia, & immunitates ejus Illustr: confirmasse, qui huic Transactioni, & Superioritati Majestatis suæ non repugnarent, neq; de Appellationibus, quæ jure, & consequentiâ ad Superioritatem

propriâ pertinent, aliquid eſt exceptum, nemini dubium eſſe debet, ad Maieſtatem Jus appellandi pertinere NB. quemadmodum, & alia omnia Superioritatis Jura pertinent, quæ non ſunt in Privilegio NB. nominatim exempta, & excepta :

propitio jure concluſum, inſimulq; omni exceptione majus refutatum eſt / quod nec Privilegium ſuper ſpecialibus, ibidemq; ſpecificatis immunitatibus, quibus per Pacta de Anno 1525 Dux Albertus renuntiaſſe videri poſſet. Eidem, die Sabbathi ante Feſtum Trinitatis, eodem 1525 Anno datum, nec Renovatio Pacis, & concordiæ Anno 1529 Pacta, inter D. Caſimirum, & Ludovicum de Erlichhauſen Anno 1466 inita abrogârunt, minùs alios, quàm qui in ſæpius dictis Pactis de Anno 1466 inter Orientalem, & Occidentalem Boruſſiam conſtituti, deſignârunt terminos, per quos dimidium Lacûs Drauſen ad Ducem Albertum redijſſet : ſiquidem præfata Pacis, & Concordiæ Renovatio equidem Granicies Terrarum Samogitiarum, & Ducatûs Pruſſiæ deſcribit, ne verbulo verò Limitum, quibus Orientalis ab Occidentali Pruſſia diſtinguitur, diſponit, minùs, quod hi ipſi Limites ſecundum Pacta de Anno 1436 utì noviſſimum Aulæ Berolinenſis Reſponſum concludit, regulandi ſint. Cui accedit, quod in dictis 1436 Pactis de Lacu Drau-

ſen

ſen, nihil quicquam diſpoſitum legatur, ſed neq́, diſponi neceſſe fuerit, ex quo inibidem ſolummodo de Limitibus inter Pruſſiam, & Regnum Poloniæ actum eſt; Pruſſia verò tota, ac per conſequens tam Elbinga, quàm Caſtrum Mariæburgenſe cum Lacu Drauſen, ad Crucigeros tempore Pactorum de Anno 1436 adhuc ſpectabant, donec Pruſſia, quæ ab Anno 1454 Sceptrum Polon: veneratur, per Pacta de Anno 1466 à Pruſſia, quæ hodie Orientalis audit, dislimitaretur. Quam igitur dislimitationem per Pacta 1525, vel etiam Renovationem Pacis, ac Concordiæ de Anno 1529 mutatam, Terraſq; , quæ Anno 1436 ad Crucigeros pertinuerunt, eadem Limitum mutatione reſtitutum eſſe, ab argumento probabili, ne dum à veritate tam alienum, quàm dicere incongruum eſſet, quod Occidentalis Pruſſia, quæ utì ſupra Anno 1436 Crucigeris adhuc paruit, hodienum ad eundem pertineat, qui Orientalem Pruſſiam tenet.

Sed ne ad reliqua Ultimæ ac Finalis Berolinenſis Demonſtrationis, in materia aſſectatæ per Elbingam tranſvectionis, repetita argumenta, ulteriori Replica ac Recapitulatione eorum, quæ utì ſupra oſtenſum eſt, toties, quoties ac præcipuè in Reiterata ad Ulteriorem Berolinenſem Deductionem Reſponſione Polon: ſolidiſſimè jam reſoluta ſunt,

Aulæ Berolinensi hic molestia pariatur, ea potiùs momenta, quæ præfatæ Aulæ in novissimo suo Responso consumatæ Celsissimi Primatis Reflexioni commendare placuit, contemplemur. Quorum, primum np, quod Commercij, & Navigationis Jura tenore Pactorum, Poloniam inter, & Prussiam Orientalem initorum, utrisq; Subditis reciproca sint, eo minùs negatur, quò clarius eomet ipso elucescit (1) quam illegitimè transvectionem Salis Hallensis per Elbingam Jure Depositorij gaudentem postulet, qui transnavigationem mercium per Emporium Regiomontanum in Lithvaniam, Mercatoribus Occidentalibus Prussiæ, aliquot ante Annos constantissimè denegavit, licèt fluvius Regiomontum transfluens Pregela nec privatus, nec tantis, utì Elbing sumptibus quotannis repurgandus, neq; ad instar fluvij Elbing ex altera parte clausus, sed æque utì Vistula publicus ac patens sit (2) quàm in æqualiter procedatur, dum Elbingensibus, quòd Sacræ Regiæ Majestatis Domini sui Clementissimi mandato, ne transvectionem Salis Hallensis per pontes suos contra Regiæ Civitatis immunitates, utì aliquoties ante factum est, porrò transmittant, severè prohibenti, morem pro subjectionis suæ debito gerant, neutiquam verò, ut idem Sal Hallensis in Orientalem Prussiam vehatur, nullo modo impediunt, quin

po-

potiùs, utì relatum eſt, etiam præter Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Reipublicæ intentionem, per ipſum etiam Elbingenſe Territorium, eundem tranſvehi permittunt; nihilominus invectio Salis tranſmarini non per Ditionem Aulæ Berolinenſis (ſiquidem Territorium Elbingenſe, licetſi ab eadem nunc occupatum ſit, nimis laxè in noviſſimo Reſponſo ad Ejuſdem recenſetur Ditiones) ſed per ipſum Patronimicum Civitatis Elbingenſis Territorium, tam violenter impediatur, ut Sal tranſmarinus, qui nuper tectè, invehi tentatus eſt, non modo arreſtatus, ſed in aquam, etiam projectus fuerit. Quæ Civitati Elbingenſi facta, victûs maximè neceſſarij interdictio (ſinè Sale enim homini vivere nisì impoſſibilè, attamen intolerabile eſt) quo veriùs publicæ hoſtilitatis contra eandem attentatum ſapit, eò difficiliùs, cuiq; æqua lance pendenti; quod ad Orientales Boruſſos ſinè Sale Hallenſi vivere valentes, attamen Sal Hallenſis, quàmvis aliâ, quam per pontes Elbingenſes viâ, advehi permittatur, concludere licebit, quomodo juri reciproco conveniat? quod per interdictam Salis tranſmarini invectionem ab Aula Berolinenſi, Elbingenſibus nihilominus uſus Salis in totum denegetur, imprimis ſi adhæc conſiderabit, quod Sal Hallenſis merx ſit Brandeburgica, quæ Orientalibus Pruſſis quidem ad conſumptionē

 ſub

ſub laquei pæna obtruditur, neutiquam verò in Boruſſorum Mercatorum commercio eſt, hincq; per optimam conſequentiam, ne quidem ad immunitates Commercij Boruſſici pertineat, nedum, ut intuitu ejuſdem Boruſſorum commercia interturbentur, perq; latus horum tam evidentiſſima, utì in reiterata Reſponſione Polonica ad oculum demonſtratum eſt, in Polonos, & Lithvanos deriventur damna.

Verum equidem eſt, quòd in fundo ſuo puteum aperire, Jura permittant, licetſi venæ ad Vicinum amplius non perveniant, modò pacta, quæ etiam nominato Contractu, propitio Jure Legem dant, deſuper expreſsè inita, venas Vicino nihilominus ſalvas velint; quodq; ad ſimilitudinem hujus Aulæ Berolinenſis minimè vitio vertendum ſit, ſi uſum Salis Hallenſis cuiq; Orientali Boruſſo, eodem pro libitu utì volenti, bonis, nulliq; *Pactis* contrariantibus, recommendaret modis, licèt Elbingenſibus, cæteriſq; Occidentalibus Boruſſis lucrum decederet, quod capere poſſent, ſi illi ipſi, qui antequã uſus Salis Hallenſis ipſis arriſit, ab ijſdem Salem Gallicum, & Hiſpanicum ſibi acquirere aſueti fuère, huncce Salẽ tranſmarinũ porro ex Occidentali *Pruſſia* ſibi comparare pergerent. Aſt uſum Salis Gallici ac Hiſpanici, *Pruſſiæ* Orientali, ab ipſis ejuſdem cuna-

bulis

bulis semper ipsi liberrimum, sub laquei pæna penitus interdicere, liberosq; Orientales Borussos, contra expressa Articuli 9ni Pactorum Velaviensium, immunitates Prussorum, omni absq; limitatione in æternum salvas, & illæsas stipulantia verba, unicè ad consumptionem Salis Hallensis, rigorosissima executione in quemcunq; Sale alio, quàm Hallensi etiam clam fruentem, irremissibiliter extendendâ mediante ad stringere; *quæ sine omni mercium commercio* non exemptarum distinctione, inter Orientales ac Occidentales Prussos liberrima esse debent, respectu Salis transmarini, penitus tollere, ejusq; causâ, Jura Depositorij Elbingensis, modo utì supra violento infringere, tantum abest, ut ejusmodi attentans, re sua ex Lege uti, vel quod eidem argumentum à puteum in fundo suo aperiente deductum patrocinetur, etiam probabilititer tantum dici possit, ut potiùs, quod tertio injuriam inferat, omnibus rem, prouti novissimum Berolinense Responsum desiderat, intentiùs expendentibus, apodicticè probetur.

Nec est, quod pro ejusmodi, illegitimo procedere justificando, ad suprema in Orbe Regna, & Respublicas provocetur, quæ, ne mercimonia arte vel naturâ in suis Provincijs parata, ex alienis Terris illuc inferantur, utì ipsa Polonia intuitu Salis transl-

transmarini, graviſſimis ſub pænis prohibent, ſiquidem longiſſimè tum Supremum Dominium, quod non abſolutè, ſed expreſſis ſub ſtipulationibus, ac inter alia, ne per idem avitis receptiſq; Statutis, Juribus, & Libertatibus Orientalis Pruſſiæ; quicquam derogetur, Duci Pruſſiæ in Pactis Velavienſibus conceſſum eſt, ab Imperijs omnino abſolutis, tum prohibitio vetuſtiſſima, ne Sal transmarinus in Poloniam invehatur, à noviſſimo interdicto, ne Orientales Pruſſi Sale alio, quàm Hallenſi utantur, differant, in reiterata Reſponſione Polonica pag. 20 ſeq: item p. 28 ſeq: Sole meridiano clariùs oſtenſum eſt.

Cui inter Supremum Dominium expreſſis ſtipulationibus Duci Boruſſiæ tantum datum, & Imperia omnino abſoluta factæ diſtinctioni minimè ea obſtant, quæ ex Articulo 5to Pactorum Velavienſium in verbis:

Quorum intuitu, & aliorum præſertim infraſcriptorum, & aliis juſtis de cauſis Ducatum Pruſſiæ ijs finibus circumſcriptum, quibus Sereniſſimus Elector, illum olim Jure Feudali ante hoc bellum exortum poſſidebat, ipſe deinceps Jure Supremi Dominij cum ſumma atq; abſoluta poteſtate ſibi habebunt, poſſidebunt, regentq; abſq; omnibus antehac præſtitis oneribus.

Item ex Articulo 6to eorundem Pactorum in verbis:

quæ

quæ tamen reservatio interim ante casum existentem Juri supremi Dominij Serenitatis suæ Electoralis, ejusq; descendentium nullo modo præjudicabit.

Ultima ac Finalis Demonstratio Berolinensis adduxit. Etenim cum anteriora ex posterioribus interpretanda sunt, ac talia sint prædicata, qualia permittuntur à suis subjectis: Subjectum vero *np.* Serenissimus Elector, & omnes ejusdem Descendentes intuitu summæ atq; absolutæ potestatis, cum qua supremum Dominium ipsis collatum esse, Articulus allegatus *6tus* asserit, in Articulo *9no* eorundem Pactorum verbis:

Serenissimus Elector, ejusq; Descendentes Masculi, Barones, Nobiles, Civitates, & Magistratus, ac subditos omnes Prussiæ cujuscunq; gradus, & conditionis sint NB. in avitis, recepitisq; Statutis, Juribus, & libertatibus huic Conventioni non derogantibus, conservabunt, nec quicquam in contrarium attentabunt, aut NB. innovabunt, aut à quovis attentari, aut innovari patientur.

Expresè ad exactissimam omnium Prussicarum immunitatum observantiam, ac manutenentiam obligantur. Ecquis justissimus Judex absolutã potestatem, cujus in antecedente alleg: Artic: *5to* mentio fit, ad potestatẽ omnibus conditionibus solutã, ac Prussis onera, pro lubitu, ante casum devolutionis, imponere ac imperare valentem, salvâ conscientiâ

extendere poterit? nec potiùs ſententionari debebit, quòd poteſtas, quæ cum ſupremo Dominio Duci Pruſſiæ collata eſt, non reſpectu onerum Pruſſis imponendorum, ſed intuitu ſuperioritatis, cui Dux Pruſſiæ ante collatum ſupremum Dominium, ceu Vaſallus, tum ratione Appellationis ad Sereniſſimũ Poloniæ Regem faciendæ, tum ratione Feudi à Sacra Regia Majeſtate petendi, homagijq; in propria Perſona præſtandi, tum ratione aliarum ejusmodi Vaſallorum obligationum, Sereniſſimo Poloniæ Regi, ac Reipublicæ, ceu Supremo, ac Directo Domino ſubjectus erat, poſt collatum verò ſupremum Dominium ab ijſdem ſubjectionis ſignis liberatus eſt, ſolummodò ſumma ac abſoluta dicenda ſit. Imprimis ſi obſervabit, quod in allegati Articuli *6ti* verbis :

poſſidebunt, regentq; NB. abſq; omnibus oneribus antehac præſtitis oneribus

Dux Boruſſiæ ab omnibus oneribus liber pronuncietur, ac nihilominus in Artic. 12 eorundem Pactorum Velavienſium 1500 Pedites, & 500 Equites Sereniſſimo Regi, & Regno Poloniæ ſubminiſtrare obligatur.

Exempla deniq; Seculorum XVI, & XVII, ſi quæ, ut gloriatur extarent, quod Duces Boruſſiæ frumentum, oleum, & in ſpecie quoq; Salem per El-

bin-

bingam Dolſtadum, indeq; ad Præfecturas Preuſchmarch, & Preuſch-Holland navigijs invexerint, tantò minùs ad probandam liberam per pontes Elbingenſes tranſvectionem ſufficiunt, quantò certiùs ipſæ enumeratæ tranſvectarum rerum ſpecies np frumentum, oleum, lanæ, haleces, ferrum, & Sal probant, quod eædem ſolummodo ad Præfecturarum Oeconomias, quas Sereniſſimus Dux Pruſſiæ tunc non in arendam, uti nunc locavit, ſed ipſemet tenuit ſuſtentandas, vel ad æconomicas neceſſitates, vel etiã pro ſuſtentatione militũ in Præfecturis locatorũ, neutiquã verò ad eaſdem adinſtar Salis Hallenſis inter privatos, neceſſariò pro conſtituto pretio diſtrahendas miſſæ, tenore Privilegij de Anno 1525 libertatem ducendi ea, quæ ad uſum, & neceſſitatem propriam ſuæ Jlluſtritatis pertinent, concedentis transmiſſæ fuerint, id quod etiam ex quantitate tranſmiſſarum eò magìs colligere licebit, ſi eadem multò minor, quàm ad providendos uniùs Præfecturæ, nedum omnium privatos requireretur, comparebit.

Ad 7mum.

Poſitô, quàmvis nunquam conceſsô, quod ſub Artic: *5ti* Tractatus Retraditæ Elbingæ verbis: *una cum uſufructu ſolito ejuſdem Territorij occupandi*

 ea

ea quoq; Aulæ Berolinensi concessa sint, quæ ad Rempublicam redire consueverint, tantùm tamen abest, ut Interdictum Aulæ Berolinensis, ne Capitatio intuitu Territorij, ad ejusmodi Contributionem semper obligati, pro punctuali militis Reipublicæ exsolutione, Civitati Elbingensi major, quàm sinè Territorio fieri possit, imposita, à Colonis, & subditis Elbingensibus levetur, eomet ipso justificari possit, ut argumentatio hæc potiùs contrarium magìs confirmet; ex quo enim notissimum est, quòd Territorium ab oneribus Reipublicæ omnino liberum, ad Contributionem tamen in rem Reipublicæ solvendam, non ideò teneatur, ut Thesaurus Reipublicæ locupletetur, sed ut Civitas in oneribus ferendis, in tantum sublevetur, in quantum ad Reipublicæ commoda promovere obligata est.

Quod si nunc verò, & eo tempore, quo usus fructus Territorij Elbingensis Aulæ Berolinensis necdum cessus erat, ex Capitatione à Colono Elbingensi solvenda nihil quicquam ad Rempublicam pervenit, quàm quòd ad recognitionem supremi Sacræ Regiæ Majestatis Dominij tenderet, atq; supremum hocce Dominium per cessum usumfructum nec in minimo Sacræ Regiæ Majestati delibatum sit; quo igitur jure Aula Berolinensis respectu ususfructus sibi cessi, id quod in recognitionem supremi Dominij

nij

nij ex Territorio in rem Reipublicæ cedere debet, Sacræ Regiæ Majestati denegari poterit? maximè dum apertissimè licet si Juris sit, quod usufructuarius ad Collectas, aliaq; onera imposita obligatus sit, per hanc tamen ex Territorio solvendam Capitationem, nec quidquam usuifructui Aulæ Berolinensi cesso, decedit, ex quo ad exiguam, utì novissimum Berolinense Responsum ipsummet profitetur, ex Territorio levandam Capitationis summam, non modo servi, ancillæ, ac famuli Colonorum maximã contribuunt partem, sed neq; Coloni minimam, quàm solvendo conferunt, usuifructui detrahunt. Ecquis igitur ex præmissis non videt, quòd misericordiæ, qua Aulæ Berolinensi Colonos Elbingenses, per frequentes inundationes, cæterasq; temporum injurias depauperatos dignos censet, multò convenientiùs esset, ut Aula Berolinensis Equites contra aperta Facta, utì in Responso Sacræ Regiæ Majestatis ex mente Reipulicæ Anno 1724 post Comitia Dominis Ablegatis Ejusdem Aulæ de Schwerin dato, clarissimè deductum est, Territorio impositos ac sustentatione tum hominum, tum equorum Colonos Elbingenses ad tantas, quam jam patiuntur, incitas unicè redigentes, quantocyùs educat, quàm ut Celsissimus Primas per intempestivam miseris Colonis Elbingensibus à se exhibendam misericordiam

concedat, ut Aula Berolinensis, usumfructum Territorij, & quidem non solitum, sed quovis Anno magis magisq; auctum, in Vigesimum tertium jam percipiendi, Interdicto suo, onus Capitationis pro Milite Reipublicæ ex Territorio pro parte solvenda, in Civitatem, & Civum maximè exhaustorum loculis, nec semetipsam conservare valentem, porro devolvere possit.

Ad 8vum.

Quod omnes rationes, quibus Aula Berolinensis persuadere hìc satagit, ac si violentæ hominum abductiones, non modo sibi ipsi displiceant, sed quod severissimè etiam in eos animadvertat, qui talia cum infractione, & armata manu comisisse, quietemq; nocturnam violasse, convicti fuerint: quodq; nec per ipsam steterit, cur tam violenter abducti, nec ad factam requisitionem, libertati restituti fuerint, veriùs meræ, & puræ simulationes sint, quàm quod unquam in animum ipsi venerit, plagia, hæc re ipsa prohibere, præter quotidianas explagiationes, quas Miles Brandeburgicus tam in Episcopatu Varmiensi, quàm in territorio Elbingensi, aliisq; confinibus locis, etiã post insinuationẽ hujus Aulæ Berolinensi Responsi, de novo iterũ exercuit, vel unicũ hoc omnni

ex-

exceptionè majus probat argumentum: quod quàm primum Aula Berolinensis intenderat prohibere, ne Prussi Orientales alio, quàm Sale Hallensi uterentur, nulla, propositum hoc ad realitatem deducendi, ipsi ex nunc defuêre media.

Quod si nunc verò in re, utì superiùs ostensum est, orientalibus Prussis, aliàs omnia licita Aula Berolinensis tam strictissimè efficere valuit, ne contra, Prohibitoria ipsius desuper emanata, ne quidem in abscondito quis agere auderet, quantò citiùs in abominali Plagij crimine, cui ipsa sacra pagina Capitis pænam dictitat, paria præstare, si modo vellet, posset; pariter propositus ab Aula Berolinensi modus, ut Commissarij, qui ante decisionem quæstionis præjudicialis ratione assumpti Regij tituli per Tractatum ullatenus destinari non possunt, à Polonica, & Prussiæ parte constituendi, violentas istas explagiationes ita circumscribant, ne talia amplius exerceri queant, dum itidem nonnisì ad media ijsdem efficaciter resistendi, protrahenda, tendant, imprimis dum Articulo 15/0 Pactorum Velaviensium, de Militibus in alterius Terris conscribendis, jam clarissimè dispositum sit, sic alium desuper modum invenire omnino superfluum esset, hinc satiùs Proceribus Regni, & Magni Ducatus Lithvaniæ in ultima Conferentia congregatis visum,

Sa-

Sacram Regiam Majestatem implorare, ut sua Majestas Regia, modis quibuscunq; alijs efficacioribus in eadem Conferentia propositis, Reipubicæ potiùs hac in re consulat, quàm ab Aula Berolinensi ipsamet absq; Comissarijs, si modo, utì paulò ante hic deductum est, vellet, ad explagiationes militum suorum efficacissimè reprimendas, sat potenti, remedium aliud in ea re diutiùs expectet. Quantopere Jura, & libertates, quæ Orientalibus *P*russis Artic 9*no* *P*actorum Velaviensium in ævum sarta tecta fore, stipulata sunt, pro lubitu lædantur, superiùs ad Punctum 1*mum*, ad 6*tum* verò, quòd ex suprema Aulæ Berolinensis in Prussiæ ejus portione, concesso Dominio, nec minimum Jus, nedum fas ejusmodi in maximum immunitatum Prussorum Orientalium fundamentalium præjudicium, pro beneplacito attentare, præfatæ Aulæ competat, ad oculum demonstratum est, cui illud, cum tempora mutantur, statum etiam mutare necesse sit, tantò minùs obstat, quantò expresśiùs Artic 9*ni* Pactorum Velaviensium verba:

nec quidquam in contrarium attentabunt, aut NB innovabunt.

omnes innovationes omnino prohibent, quantoq; certiùs, quod essentialibus cujuscunq; rèi, nedum Status alicujus *P*olitici, cujus anima Jura e-

jusdem

juſdem fundamentalia ſunt, vel in minimo mutatis, eundem ſtatum penitus everti neceſſe ſit, ac per conſequens ejuſdem de ſtatu pro qualitate temporis mutando, aſſerti applicatio, ultra externa ſtatus alicujus accidentalia ullatenus extendi nequeat. Tantum etiam abeſt, ut contra Pacta Velavienſia actum ſit, quando Domini Senatores, ac Miniſtri ſtatûs, tot tantaq; (utì ad Punctum 1*mum* quadantenus hîc relatum eſt) Statum Orientalis, ſeu Ducalis Pruſſiæ funditùs enervantia, ipſiq; Reipublicæ in caſum devolutionis, ſuiſq; ſubditis cum Pruſſis Orientalibus commercantibus maximè præjudicioſa attentata obſervantes, Sacræ Regiæ Majeſtati, nomine publico ac injuriatorum ſupplicarûnt, ut ab Aula Berolinenſi horum quoq; attentatorum inſtantaneam reparationem, ac ſatisfactionem requirant, ut potiùs Artic: XXI eorundem Pactorum verba :

Si pars alterutra huic conventioni, & Foederi contravenerit, & decenter admonita, ſatisfacere neglexerit, pars læſa monere tenebitur Mediatores, ac Sereniſſimos Reges, & ſtatus in Articulo ſequenti nominatos; & eorum curam adhibere NB. procurandæ ſatisfactioni, & huic ſtabiliendæ Concordiæ rationi, utraq; pars ſedulò inſiſtet.

Modum ſatisfactionis quotiescuncunq; ab altera parte Conventioni Pactorum Velavienſium con-

traventum fuerit, petendæ, conſtituendo, neutiquã Articulum 9*num* corundem Pactorum immunitates Pruſſorum Orientalium, contra quaſcunq; Aulæ Berolinenſis Innovationes, ac attentata, ſalvas ſtipulantem, eximant, ac per conſequens Reipublicæ ceu alteri Paciſcentium Parti, expreſsè quoq; facultatem faciunt, earundem innovationum, ac attentatorum, tum in ipſam Rempublicam, tum in ejusdem ſubditos præjudicioſa damna derivantium, reparationem exigendi.

Refutatis itaq; ſatìs ſolidè, & evidenter plura dicentibus, & nihil probantibus Aſſertionibus Aulæ Berolinenſis; contra comprobatîs verè, ac inconteſtabiliter deductîs gravaminibûs, & læſionibûs Reipublicæ in Memoriali ſuo nuper remonſtratîs, ſperat Celſiſſimus Primas eandem Aulam, mitiora [redacted] conſilia arrepturam, juxtaq; inſinuatum Illuſtriſſimis Dominis Ablegatis, ex mente immediatè Conferentiæ modum, omnes injurias, ac diſſerentias accommodaturam, & de plano pacificaturam; potiſſimùm poſtquàm maturè, & penitiùs perpenderit, ex ruptura, & infractione totali anteriorum Pactorum, & regreſſu rerum ad eum ſtatum, in quo ante illa fuerunt, plus ſibi damni, & detrimenti, quàm Reipublicæ, ſemper erga ſe beneficæ, allaturam.